



Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XIV. Legum mutatio, add. sup. lib. III. cap. correctio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

CAP. XIV.

Legum mutatio, add. sup.
lib. III. cap. correctio.

Legem aliquando mutari non est absurdum, c. 8. extr. de consang. & affin. Nov. 78. Eleganter hanc regulam declarat & explicat Justinianus in Nov. 97. prefat. quod nempe ea quæ semper idem manent (ut sunt res divinæ juris naturalis & gentium primævi, §. sed naturalia in Inst. de f. n. G. & C.) nulla indigeant mutatione, secus sit in iis, quæ velut in tumultu actionum humanarum collocatæ & ipsæ mutantur & diversas exposulant constitutiones. Præter hanc autem Imperatoriam & Authenticam explicationem & quoad legislationem civilem notandum, mutari in tantum, mutari non debere in totum. Hic enim verè obtinet regula illa Laviana lib. 4. histor. Nihil ex antiquo motum probabile est add. l. pen. pr. de in integr. rest. l. 33. de ll. l. 183. de Reg. Jur. Hillig. 1. comm. 12. in fin. l. 2. ubi Corasius & Bachovius de Consist. Principum.

CAP. XV.

Levia.

Axioma I.

Levia pertractare aliquando non est inconveniens. Ludov. Gomez. ad §. sed ipse. Instit. de act. Nam ut inquit Anton. de Butr. cap. 3. col. 2. de vit. & honest. Cleric. sæpius de his interrogari, minus est verecundum, nescire responsum. Quin imò per hæc levia juvenum ingenia sæpe excitantur, ac solent interdum facilius plurimorum animos movere, quam ea quæ pensatè & utiliter dicuntur, ut ait in notabili casu Barth. Veron. in tr. Cautel. caut. 67. incip. sunt multi post Anton. de Butr. in cap. per tuis qui fil. sint legit. siquidem bonarum artium disciplinæ non tam utendi causa, quam propter ea quæ singulariter enumerantur addiscuntur, c. legimus. 9. 37. distinct. ac etiam ut otium propulsetur, ut loquitur text. in cap. nunquam. 33. de consecrat. dist. 5.

II.

Leviora & humiliora negotia minori solennitate tractanda. Fundamentum hujus regulæ est in l. ult. C. de Pedan. jud. junct. Novell. 82. cap. 5. Unde patet leviores causas non tantum inferioribus judiciis & pedaneis committi, sed nec opus esse solenni causæ cognitione, aut desiderari formam ordinarii processus, sed sub schemate annotationis rectè expediri: Ratio consistit in utilitate publica & celeritate expediendarum litium. d. Nov. 82. cap. 5. ibi: sic enim velocius lites judicantur, & circuli cognitionis alibus ac temporis contritione omnes ligantes liberantur.

Amplia, dictum axioma procedere non tantum in civilibus, sed etiam in criminalibus. Leviora enim crimina de plano rectè possunt expediri, l. 6. de accusat.

Limitationis tamen loco nota, quod in levioribus ita leviter procedi nequeat, ut veritas ita

occultetur, per ea, quæ tradit Clem. sæpe contingit de V. S.

CAP. XVI.

De levis notæ macula.

vid. Infamia.

Axioma I.

Cum infamia aliquam affinitatem habet levis notæ macula l. 27. C. de inoff. testam. quæ ob sordidum vitæ genus vel ob aliam causam imputatur, ita ut quis inter personales viles numeretur, ut spurii & alii illegitimi, Heig. p. 1. q. 21. num. 58. Carpz. P. 3. C. 10. def. 10. carnifices, excoriatores, & quibusdam in locis liciores Carpz. P. 1. d. 18. num. 12. Richt. p. 2. d. 80. num. 19. Speidel. voc. Hencker. Non etiam liberi molitorum, textorum, chirurgorum, pastorum ovium, balnearum &c. Rec. Imp. de anno 1548. tit. von Handwercks. Söhnen & de anno 1577. tit. 78. S. setzen/ordnen &c. Richter. P. 2. dec. 80. n. 11.

II.

Quicumque sordido parentis officio renuntiavit, illi macula paterna non præjudicat. Quia aliàs filius facto paterno puniretur, quod permitendum non est. Hahn. ad Wesenb. tit. ff. de his qui not. infam. unde licet filii non sunt infames. Carpz. P. 2. dec. 112. conf. axioma. præced.

Limita: ut hic potissimum attendantur mores cujusque loci.

CAP. XVII.

Libellus.

Axioma I.

Libellus pro commodo libellantis est interpretandus, l. si quis intentione. 66. l. soleamus. 61. ff. de judic. Myns. conf. 28. num. 4. Gylman. 4. i. vot. 30. num. 273. Claud. Mayner. in l. 12. §. 1. de acquir. poss. & ibi Bolognet. num. 69. Gail. 1. obs. 61. num. 16. & obs. 66. num. 8. Libellus enim semper sustinendus, etiam si verba prorsus sint improprianda, Bart. & Dd. in l. sed si possessori. §. item si. n. 5. de jurejur. Gail. d. obs. 66. num. 7. Myns. 4. obs. 5. Bald. in l. 2. verb. queritur ergo. colum. 2. C. quæ accusat. non poss. Innocent. in c. cum licet causam. in fin. de probat. Regner. Sixtin. 2. Conf. Marpurg. 22. num. 115. vide Gæden. conf. 43. de Libello. pag. 141. Unde talem esse largissimi juris, ejusque verba etiam largissime interpretanda, ut includant & comprehendant inrentionem libellantis etiam cum verborum improprietate, trad. Panor. in cap. examinata de judic. c. licet. de dilat. c. cum Ecclesia. de caus. poss. & propr. col. ult. cap. auditis de præscript. Gæden. conf. 33. de jure civitat. n. 12. Hartm. Pistor. 1. quæst. præf. 54. n. 26.

II.

Libellus secundum consuetudinem formandus, gloss. in l. de quibus verb. in veterata. ff. de ll. Angel. in l. diuturna eod. tit. & l. 1. ff. de offic. Assess. Ludov. Gomez. ad §. superst. Inst. de action. numer. 44.